

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

*Ph.D. Level Medieval Latin Examination*

18 April 2007

\*\*\*\*\*  
Translate ALL FOUR passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.  
\*\*\*\*\*

1. The writings of Prudentius (Conrad of Hirsau)

Scripsit ergo contra Simmachum libros duos metrico stilo exaratos, scripsit in laudem Christi et martirum eius diverso metro librum qui intitulatur *Liber ymnorum*, ubi etiam tardae penitentiae suae meminit et cum aliis se in laudem divinitatis accedit, composuit et libellos greco vocabulo intitulatos, id est *Apotheosis* et *Amartigenia*, hoc est de divinitate et de origine peccatorum. Adiecit et istum quem habemus in manibus, id est *Psichomachiam*, qui latine de pugna animae dicitur: *psiche* enim grece, latine anima, *machia* pugna dicitur, in quo libro collectationem camis et spiritus perfecte comprehendens in vicia septena vel potius octo dispertivit, incipiens ab ydolatria, quae primum terris omnibus principans cultura detestabili nascenti ecclesiae velud obex validissimae repugnantiae adeo se obposuit, ut multis martirum milibus initium fidei consecraret vel potius confirmaret sicque tandem prevalente iusticia vix convicta deficeret, sicut idem auctor ostendit, dicens: *Difficilemque obitum suspiria longa fatigant.*

## 2. A warning to stay away from an apostate (Gregory VIII)

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei Iohanni Neapoitanus archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem. Non latere te volumus, ex quo carissimus noster Salernitanus princeps noviter rediit, nos et nobilissimum magistrum militum et maiores atque minores vestre urbis quodammodo specialiter cepisse diligere. Unde modo valde magis dolemus, quia eos auxilium dare hominibus pravis et ab ecclesia atque a Deo separatis audivimus. Nam relatum est nobis, quod Iordani, qui scienter periurus beato Petro et nobis et ob hoc anathematis nodis ligatus est, adiutorium faciant. Quę res illos procul dubio et a gratia beati Petri alienos et dilectione nostra indignos efficit et, nisi resipiscentes desinant, ęternis penitentia obnoxios reddet. Prionde fraternitati tuę precipimus, ut prefatum magistrum militum omnesque tibi commissos admoneas et pontificalis censurę disciplina prohibeas et interdiccas, ut tam a prefato Iordane quam et a ceteris illius complicibus sese abstineant illique nullum prorsus auxilium tribuant, donee beato Petro satisficerit, quem periurio abnegavit.

## 3. An apology for a departure and expression of gratitude (Tegernsee Letters)

Mens mea iam dudum veluti ericius spinis circumdata tribulationibus aliquantulum mutari desiderat in melius, licet periculoso sit anime onerosumque mee pauperiei, tamen spem meam pono in consolationem miserentis dei. Credo quidem te non latere, quantis calumniis duxerim vitam ab infantia, quas, quoniam sileat lingua, tamen reducunt in memoriam intimi cordis suspiria. Quid multa? Quantas gratiarum relationes tibi debeam pro innumeris beneficiis mihi a te exhibitis, non proferre valeo litteris mute vel vive vocis, attamen recordatio tui nominis commovet in gemitus viscera mei interioris hominis. Qua de re indico tibi sub testimonio Christi et ecclesię me non vagandi, sed discendi causa discessisse et nil furtim abstulisse et post biennium seu triennium, si dominus vitam prolongaverit, reversurum esse, ut in divine karitatis Bethania resuscitari merear a morte anime ab eo, qui regnat in Ierusalem superna:

O venerande vale, tibi devoti memorare.

Tu mihi lux, mihi spes, laus et per me tibi perpes.

4. Adelard of Bath's nephew proposes a debate

ADELARDUS: Meministi, nepos, septennio iam transacto, cum te in Gallicis studiis pene puerum iuxta Laudisignum una cum ceteris auditoribus meis dimiserim, id inter nos convenisse, ut Arabum studia ego pro posse meo scrutarer, tu vero Gallicarum sententiarum inconstantiam non minus adquireres.

NEPOS: Memini, eoque magis quod tu discedens philosophic attentum futurum me fidei promissione astringeres. Id ego semper angebar, quare huic studio forem attentior. Quod utrum recte expleverim, re ipsa probari potest, hac precipue opportunitate, quia, cum Sarracenorum sententias te sepe exponentem auditor tantum notaverim, earumque non pauce satis futiles michi videantur, patientiam meam paulisper abrumpam, teque eas edisserente, ego sicubi michi videbitur obviabo. Quippe et illos impudice extollis, et nostros detractionis modo inscitia invidiose arguis. Erit itaque opere pretium te laboris tui assecutum esse fructum, si bene solveris, me item, si probabiliter opposuero, mea promissione non esse fraudatum.

ADELARDUS: Confidentius id quam valeas forsan presumis. Verum tamen quia cum tibi, tum multis aliis hec disputatio non erit inutilis protervitati tue morem geram.